



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Reverendissimi Ac Illustrissimi Domini Domini Francisci
Fenelonii Archi-Episcopi Cameracensis, Et Quondam Ab
Humanioribus Litteris Serenissimi Ducis Burgundici
Telemachus**

Fénelon, François de Salignac de La Mothe

Francofurti, 1744

VD18 11007532

Lib. X. Argumentum. Causa belli cum Manduriis Mentori indicata ab Idomeneo. Manduriorum ratio agendi probata à Mentore. Illorum improvisus adventus. Varii Reges Græciæ inter hostium auxilia. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69283](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69283)

ciemus, Telemache; quem etsi iam in Stygem inclemens fatum, transmiserit, in te amans tui Græcia sibi credet restitutum.

Hæc loquentem intercipiens Telemachus: Ita verò remittemus navem cum Phœnicibus. Quid moramur sumptis armis procedere in hostes tuos? tuos autem? imò nunc etiam nostros. Acesten Troianum, & infensum Græciæ victorem effecimus in Sicilia. Ergone plus nec præstabimus nec iuvabimur à Diis pugnantes pro illo ex Heroibus Græciæ, quorum manu data in ruinam Priami iniqua mœnia? utrumque nobis sponndit, quod audivimus, oraculum.

TELEMACHUS.

LIBER X.

IAm liberiori pugnae impetu Telemachus exarserat. At Mentor non acri, non perturbato vultu in eum intuens: Desiderio gloriæ, inquit, quo cum laude impelleris, multum delector. Memineris tamen, parentem non nisi ob ingenii consiliorumque diviniorem præstantiam ante alios ad Troiam claruisse. Achilles quamquam non vinci, non vulnerari potuit, imò nec dubitare, se terrorem mortemque illaturum, quibus & ubi fecisset bellum; expugnare Troiam non valuit. Quid? quod ad murorum eius partem infimam cecidit; ipsūque Hectorem nobilitatum tot victoriis non excepit vivendi melior finis. Contra Ulysses, cuius fortitudinem moderabatur ratio, igne obarmatus ferròque penetravit se in medios
cuneos

cuneos Troianorum: evertit tures illas excelsas, magnificas, universæque Græciæ, in excidium eius urbis coniurata, per decem ipsos annos formidolosas. Præstat virtus cum consilio, ardore & impetu ferocem animum, quantum Pallas bellorum Præsidentem Deum. Itaque discamus imprimis & maxime rationes modosque belli, quod erit gerendum, & quæ præterea cum eo coniunguntur. Discrimen detrecto nullum. Refert tamen, o rex, prius ex te cognoscere, iustumne bellum, deinde quocum hoste geras, & quibus denique viribus, num suffecturis in prosperum eventum?

Tum rex: Barbara natio fuit, in quam primò incidimus huc appulsi. Dispersa per sylvas victitabat venatu iisque, quæ arbores sponte enituntur in obsonium. Mandurios vocant. Adventu nostro armisque conspectis in montes profugerant territi. At, quem sub signis habebam, miles desiderio tum regionis numquam antehac visæ, tum consequendi sylvestrem prædam longius progressus à litore, in fugitivos incidit. Ex quibus præcipui: Maritimas terras, inquit, tam idoneas humano cultui huc divertentibus vobis reliquimus, adornatâ in montes propemodum invios fugâ. Hoc unum superest fugientibus receptaculum. Rem facietis sanè iniquam, si vel hîc otio & libertati nostræ graves eritis. Vagabundi estis (id quod aspiciamus) incerti locorum, dispersi, & numero nobis inferiores. Vita vestra in manibus nostris sita est, ita eripienda, si libet, ut ne nuntius quidem cladis ad vestros possit venire socios. Verùm absit hoc malum, ut eadamus naturæ nostræ participes. Recedite potiùs, memores imprimis, vos per hu-
mani-

mani-

uanitatem nostram misericordiámque vivere, deinde, hanc moderationis & magnanimitatis legem ex populo, quem immanem & barbarum vocatis, didicisse.

Hunc in modum à barbaris dimissi nostrates in castra revertuntur, nuntiantes, quæ accidissent sibi. Haud leviter rem ferebant armati, indignum aestimantes, Cretas vitam debere fugitivis non hominibus, sed hominum monstris. Igitur variis instructi armis sylvas repetunt, quàm antea longe frequentiores; protinúsque repertum hostem nec segni nec incruenta dimicatione invadunt; tela utrinque effusa grandinis in modum: In prærupta montium reiecti barbari, quò fugientes sequi nostris temerarium visum.

Haud multò post mittuntur ad me duo ex senioribus gentis eius, consiliò maximè valentibus, petentes pacem. Pelles ferarum, quas ipsi percipiunt, ferebant dono, frugésque, quibus incolam alit regio. His mihi traditis sequentem orationem habuerunt:

Altera manu gladium, alterá oleam, rex, præferre nos vides (habebant autem utrumque.) Et pacem & bellum offerimus. Quod placet, elige. Utinam illam velis! pacis causâ turpe non putavimus, tibi concedere, quæ iucundè accumbunt mari, quæque idoneo calore solis ad fertilitatem & copiosè gignenda grati saporis alimenta præparantur. Omni scilicet alimento gratior pax; cuius amore recessimus in edita montium, nudâ vernis, nudâque autumnî deliciis, utpote quas gelu rigens humus, æternæque nives non admittunt. Execramur inhumanam illam amentiam, quæ
præ

præclaro conquirendæ gloriæ famæque titulo stolidè in regna, stolidiùs grassatur in homines, ex communi natura utique consanguineos. Quòd si & te inutilis hæc atque insana cupido famæ tangit, non dolemus; sed miseremur duntaxat tui, obstantes Deos, ne nostros in animos hanc pestem transfundant. Ceterùm si ad tantum nefas aut studia vos erudiunt litterarum, in quibus anxie versatur Græcia, aut industria morum civilium, ex quibus aucupamini laudem: profectò gentem nostram his rebus tam utilibus carere utilissimum ducimus. Expediet ad honestatem nobis esse indoctis & barbaris, iustis tamen humanisque & ab aviditate proprii commodi, perfidiâque alienis. Expediet nobis illos æmulari, quibus pauca sufficiunt, quique vanissimam & multorum indigam mollitiem rident. Cordi nobis sunt præter integritatem valetudinis, sobrietas & libertas, corporis animique firmitas; virtutis studium, Religio in Deos; in propinquos benevolentia, continentia in prosperis, robur in adversis; fides in universos; veri stabilis & intrepida professio; animus denique ab adulationibus semper immunis. Vides iam mores earum gentium, quæ tuam per nos amicitiam ambiunt. Quòd si adeò te oderunt Dii, ut pacem recuses cæcò consiliò: Agnosces serò nimis, qui sanæ humanæque rationis ductu se dederunt paci, eos laceffitò bellò præ ceteris fore terribiles.

Hæc fenum ad me oratio; inter quam non potui, quin utriusque oratoris facies fixis oculis contemplerer. Barba illis promissa & neglecta; hac fucinctiorem comam gravior ætas asperferat. Densa
super-

supercilia imminebant perspicacibus oculis. Non pavidi obtutus aut gestus: vox gravis, & virilis ex sono: agendi ratio ingenua & sine dolo. Tegebantur pellibus, super humeros, quibus incubabant, adstrictis & occultantibus lacertos brachiâque, illis athletarum magis valida ac incertamen fidelioria. Ceterum responsum reddidi, me pacem velle. Fide pluribus conditionibus invocatisque Diis firmata eum donis remittuntur ad suos. At nondum Deorum odia, quibus paterno spoliatus sum regno, absolveram. Venatores nostri famam nunc sanitæ pacis adhuc ignorantes per tempus, obviam barbarorum multitudinem, legatos suos è castris nostris regressos comitantium, cum furore aggressi, cæsa illorum parte, ceteros in fugam averfos persequuntur ad nemus. Hæc causa instaurati belli. Creduntque barbari nos nec bona fide iurare, nec promittere.

Maiores copias inducturi in nos, Locrenses Apulosque vocant auxilio præter Lucanos, quique Crotonam, Neritum & Brundisium colunt. Lucani adducunt currus falcibus perquam acutis armatos. Ex Apulis feræ, quam stravit, exuvias quisque induitur, clavamque gestat duratam crebris nodis præfixamque radiis ex ferro. Corpora gigantum magnitudine, adeoque firmata exercitiis, quibus assuevere, ut solo aspectu faciant metum. Locrensis origo ex Græcia. Nondum in exteriores mores penitus lapsi, mitiora ceteris habent ingenia, invicti sanè, postquam militari maiorum disciplinæ exterorum robur vitæque asperioris consuetudinem adiunxerunt. Leviora scuta texunt viminibus, inductaque coriò obiciunt telis. Prælongi

longi gladii hærent. Brutiùs concitatiõri cursu non cervi non damæ aguntur. Crederes, eorum pedibûs nec mollissima gramina premi. Vestigia certè ab illis vix accipit sabulum. Celerrimo impetu in vectos in hostem videas non minori celeritate subduci ex oculis. Crotona idoneos iaciendis fagittis mittit. Arcus, etiam usu vulgati, adeò resistunt flectentibus, ut à nemine Græcorum ex vulgo parari ad iactum queant. Capiant præmia, si quando se ad ludos nostros comparabunt. Tela lethali venenò illinunt ex herbis, quas ad Averni ripam legi fama sparsit. Neritios verò, Brundisios Messapiosque quod attinet, solo robore corporis, rudique virtute animi valent. Conspecto hoste horribiles clamores edunt. E funda non aptiùs quàm densiùs excussis lapidibus cæli ferena violant; ceterùm sine ordine prælium inire soliti. Atque hæc sunt, charissime hospes, quæ cupiebas cognoscere. Inde habes, quare & cuiusmodi cum hominibus nobis belli dissidium.

His relatis à rege impatiens moræ Telemachus iam imminabat pugnæ, nihil præter arma ratus desiderari. At Mentor occurrens intempestivo ardori: Cur Locrenses, inquit, quamquam oriundi ex Græcia, cum barbaris adversum te, o rex, cõvère in fœdus? cur tot nationes aliunde advectæ hanc oram amicam sibi, tu inimicam habes? Nondum omnia Deorum odia te causaris absolvisse. Ego vero sic existimo, multum superesse, quod de Deorum institutis diligentior discipulus absolvas. Tot casuum, quibus es perfunctus, magisteriò, ecce! nondum occupare seu prævertere bella didicisti. Retineri ab armis barbaros potuisse ex iis, quæ tu

N

de

de ipsorum candore & fide, satis superque intelligo. Sed exitiosissimorum tumultuum mater insolentia. Obsides dare & ab iis accipere potuisses. Exigui negotii fuisset addere abeuntibus ex Praefectis tuis, qui redeuntium securitati praesentia sua prospicerent. Quin renovato quamquam bello fieri poterat, ut mitigarentur irati, docendo videlicet, laceffitos duntaxat fuisse ab ignorantibus, quae modò utrimque venissent in pactum. Offerendum praeterea fuisset, quidquid in securitatis postulassent pignus, poenaeque sancienda in eos, qui violassent foedus. Quanam autem subsecuta sunt haec tenus ipsum belli initium? Et rex:

Postquam omnem aetatem armis idoneam cum festinatione conscripserant, finitimosque ad auxilium, quin odium etiam nostrum concitarent: dedecori mihi credebam fore, oleam opponere armatae barbariae. Tutissimum ex praesentibus visum, continuo itinera quaedam & angustias montium levius custoditas occupare. Facile obtinuimus; inde futuri deinceps hisce adversariis perdomandis omnino pares. Turres quippe ibidem a nobis posita, unde nostra est montibus invasuri telis possunt obrui, contra terrae eorum sedesque praecipuae excursionibus & populationibus nostris infestari prohibitu. Ita arduum nobis haud est, innumerabiles copias adversariorum repellere longè minori manu. Ceterum adeò crevit difficultas reparanda pacis; ut nihil in ea adhuc sit positum operae. Turres, quas excitavi, munimenta libertatis nostrae deferere nobis haud licet, nisi volentibus exponi periculo aeternarum incursionum; illis autem eadem claustra futurae suae servitutis videntur.

Ad

Ad hæc responsum à Mentore : Sapiens es, Idomeneu, ideóque cupidus nudæ ac simplicifsimæ veritatis, neque ex illo angustarum mentium numero, quæ & verum timent cognoscere, & ea, quibus depravantur, non audent corrigere; ac propterea omni auctoritate sua, potentiâque in patrocinium delictorum suorum abutuntur. Itaque assero, gentem hanc, misîs, qui peterent pacem, tibi præclaro & admirabili documento extitisse. Quid enim? num aut non potuit, aut timuit aut noluit te à cervicibus suis depellere? At bellicosa est & finitimorum præpotenti multiplicique auxilio valida natio. Quin exempla imitaris tantæ lenitatis & moderationis? Scilicet falsa dedecoris opinio, & species quædam inanis gloriæ causa totius est, in quo versaris, periculi. Timebas, ne æquo insolentiorum hostem facias; at non timuisti, ne redderes validiorem: cum insolentiâ tuâ sit factum, ut tot gentium & inimicum tibi sanciretur fœdus. Illæ verò turres, quas tanto laudas opere, quid nisi necessitatem afferunt accolis exitium aut patiendi, aut, ut ne serviant, inferendi tibi? Excitasti eas, ne pericliteris; atqui inde ipsum tantum tui periculi. Regnorum tutissima propugnacula & munimenta sunt iustitia, lenitas, fides, certaque finitimorum fiducia, se extra discrimen vicinæ servitutis versari. Fortissima mœnia obnoxia casibus. Bellorum fortuna pervicax & inconstans est. At si charus affinibus sis, si dignus, in quo confidant (eris autem comperta lenitate tua industriâque colendæ pacis) numquam inferior bello, rarò in armis futurus es, amicitiam propinquorum fiduciaque unico videlicet existente belli

& propulsandi & antevertendi remedio. Esto etiam, te per nefas laceffi à proximo. Tum fanè finitimi omnes, ut quorum interest fervari tua, sine mora confurgent in amulum. Tot igitur populis, quibus incolumitas tua intelligitur prodesse, proficifcentibus tibi suppetias, plus certè valuiffes, quàm extractis propugnaculis, quæ nullum porrò remedium vulnere fortis tuæ relinquunt. Profectò nisi cunctatus fuiffes te liberare nascente propinquorum invidia, adolesceret inter beatas oleas, quam exorsus es, regia; tute ipse disceptantis Hesperiaë suspicereris arbiter. Verùm agamus iam aliud, & maximè, ecqua præteritis dehinc adhibenda remedia? Diversas Græcorum colonias in hac ora esse memorâsti sub sermonis initium. Ab his petenda auxilia. Nondum apud eas exolevit Minois ab Iove geniti illustre nomen, nondum etiam tua ipsius merita; qui bono totius Græciæ ad Troiam, insignem nostros Heroës inter navâsti operam. Quin hos saltem populos adiungis tibi?

Hic docere rex illis omnibus fixum nullius in partes concedere. Quamquam enim (inquit) me non oderunt penitus: at splendore ipso, quem vel incunabula urbis meæ ostentabant, movebantur; veritiquè aliarum, quæ circumiacent, nationum exemplò, ne insidiaremur libertati suæ, existimabant, subactis, qui montes colunt, ambitionem nostram grassaturam larius. Paucis habe. Nemo quispiam amicus mihi. Quid? quòd & vires meas optant minui, quorum nondum apertas inimicitias subivi, ne unum quidem socium partibus meis indulgente invidia.

Næ isthæc (Mentor interponit) rerum tuarum detere

deterrima conditio? Vires consumis, ut videâre magnis viribus; dumque terribilem te exteris & exosum facis, providendô iustum tanto bello apparatus, domi in egestatem te conicis. Infelicem fanè, iterumque infelicem te, qui istis malis altero tanto sapere debueras! Ergone alius casus errorque adhuc permittendus à Superis, ut ad prævīdenda, quæ summis regibus minantur, mala te erudiant? At rem mihi permitte: & quænam Græcorum coloniæ societatem tuam aspernentur, diligenter expone.

Primam ex iis mentionem, inquiebat rex, Tarentum meretur. Triennium est, cum cœpit à Phalante. Hic ex Laconia contraxerat ingentem multitudinem iuvenum, quos ex alieno toro matres conceperant. Redeuntibus ex bello maritis haud alia cura illarum fuit, quam negandô propulsare suspicionem flagitii. Neque fanè pauci fuere, quorum legitimi natales desiderabantur; ad indomitam morum licentiam ipsa ignoratione genitorum proveci. Ceterum à legum severitate frenum adhuc erat impotenti libidini. Quod cum ferre non potuissent, secuti Phalantem, hominem intrepidè temerarium, atque ambitiosum, callidumque ad trahendos animos, occupata hac ora Tarentum Lacedæmoni substituerunt. Petilia haud procul est in diverso littore, disciplinâ, non viribus melior Tarento. Mœnibus Philocteres cinxit, præclarum nomen allatis Alcidae sagittis consecutus ad Troiam. Metapontidem denique finibus nostris sapientissimus Nestor apposuit suorum ex Pylo adiutus manu.

Ergone, hospes loquenti iniiciebat, Nestorem

in Hesperia, non item in partibus tuis habes? Nestorem, qui à multis fortiter gestis in Phrygia Heroem probavit te, legitque in amicum sibi? Atqui hanc amicitiam, rex inquit, sustulere callidæ hominum solo nomine barbarorum industria. Eò certè adduxere prudentissimum virum, ut crederet me captare Hesperia tyrannidem. At liberemus eum hoc errore, Mentor reponit. Nestorem Telemachus vidit ante deductam huc terrarum coloniam magnaque ob Ulysssem patrem itinera. Tenebitur adhuc memoriâ tanti viri, quàmque filium eius amanter exceperit. Est autem caput apud eum agendæ rei, suspensionem abolere, quæ ab adversariis tuis iniecta ipsi est. Excitasti passim suspensionem, alienam libertatem dolere tibi. Hæc fax præsentis belli, qua extincta istud refrigescet. Sic iterum habe: rem mihi permitte.

Ita differentis collo rex affudit sese magnitudine interioris solatii, quod voci quoque attulit moram. Cum conatu tandem expeditâ linguâ: O venerabilem, inquit, & cœlesti sapientia canitiem, missam à bonis Superis, ut emendet, quidquid perperam à me hucusque gestum! Fateor: odissem in alio, qua tu uteris, dicendi licentiam. Sed & istud pronuntio, tuum unius consilium posse ad petendas pacis condiciones inducere hunc animum. Statueram aut perire, aut quidquid uspiam hostium, vincere. Sed æquum est prudentiæ tuæ obsequi, non cupiditati meæ. Felix Telemache, qui vel nunquam vel Idomeneo certè levius delinques tantæ sapientiæ discipulus. Fac, senex optime, fac pro imperio. In te par Minervæ facultas suadendi salubria. I, promitte, & vel per iacturam
omni-

omnium, quæ possideo, paciscere. Placebit Idomeneo, quidquid videbitur tibi.

Hos ultro citròque sermones multiplex ex improvise tumultus rupit. Exaudiebantur fragores curruum, hinnitus equorum; fremitus non tam clamantis quàm fœdum in modum vociferantis multitudinis, clangorque tubarum ipsa sonitûs ad stridoris similitudinem præfracti asperitate concitantium militares impetus. Publicæ voces nuntiabant adesse hostem: multis ambagibûs collocata in viarum angustiis præsidia fefellisse: oppugnatum venire Salentum. Viri ætate graves feminaeque pavere & trepidare inter gemitus visi: Ergone relinquenda erat dilecta patria, tam fertilis tam beata Creta, quærendûmque cum infelice rege per tot maria exilium, ut hîc coniungeremus domicilia, ah! Troiæ finem habitura? Perstringebantur fulgore oculi è recentibus muris prospicientium in latè circumiectos agros, galeis, loricis, scutisque exceptos à sole radios iacentibus in transversum. Horrescebat solum eminentibus sarissis haud aliter, atque æstivis caloribûs per circumfufum Ennæ muris agrum in Sicilia densos aristarum ordines iusto agrestis operæ præmio Ceres consuevit disponere. Iam curribus appensæ falces notabantur, multum nocituræ ex acie. Neque difficile erat nationum internoscere discrimen, ex quibus conflabatur hostilis exercitus.

Mentor, ut inimicum agmen meliùs prospiceret, conscendit in editam turrin, proximè sequentibus rege & Telemacho; statimque coniectis oculis Philoctetem, alibi Nestorem cum Pisistrato filio aspexit. Extrema ætate Nestorem facile di-

stinguebat ab omni exercitu. Itaque viso eo, Idomeneum inclamans: Eho! Philoctetem & Nestorem tibi quidem nihil nocituros, sed nec hostibus credideras futuros auxilio? Ecce sumptis armis nocituros tibi! Et alteræ illæ copiæ, servatis ordinibus, suspensôque subeuntes gradû Laconum, puto, sunt, & Phalante duce. Nemo quispiam amicus tibi, hostes habes, quot hæc ora accolas, à te ipso quamquam non sciente irritatos.

Inter hæc verba Mentor confestim relicta turri contendit ad portam civitatis obversam regioni, qua veniebat hostis, iussitque ea reclusa sibi viam dari, Idomeneo imperatoriam Mentoris in agendo constantiam vehementer obstupescente, nec rationem eius, quod acturus erat, auso percontari. At ille signo dato, ne quis ipsum sequeretur; obviam procedit hosti; mirantique hominem unum non vereri tantis occurrere copiis, eminus ostensâ oleâ significat pacis venire internuntium. Ubi exaudiri potuit, convocari rogabat principes exercitûs. Quo factô hunc in modum alloquebatur universos.

Non ignoro, Viri, ex florentissimis Hesperiae nationibus congregati, vos ad communem libertatem defendendam huc duntaxat convenisse. Laudo hoc etiam armatum propositum. At finite, quaeso, qua ratione & libertas & honor vestrarum gentium incolumis esse etiam sine clade valeat, audientibus vobis exponam.

Quis ignorat, Troianæ expeditionis oraculum, Nestor (quem inter omnes intueor!) quis ignorat, inquam, quanta incommoda, quanta discrimina bellum vel ipsis afferat, qui iuste & auspiciis Diis
 capef-

capessunt arma? ex iis flagellis, quibus humanum genus castigant Superi, acerbissimum bellum est. Et universam quidem Græciam quantum decennalis expeditio attriverit, semper tuæ inhærebit tristi memoriæ. Quæ, Superi! inter duces dissensio! quæ impotentis fortunæ ludibria! quæ clades ab Hectore! quæ civitatum omnium etiam validissimarum calamitas ex diuturna regum suorum absentia! adornato autem reditu alios ad Capharea hausit naufragium, alios inter amplexus coniugum sponsarumque occuparunt fata: ut in Troiam nos armasse videatur Deorum indignatio. Quos ego quidem nunc precor, ne armis vestris renovare velint tam funestam victoriam. Equidem iacet Troia cineribus sepulta suis. At enim multo magis valeret nunc Græcia, si adhuc urbs illa staret, Helenamque arderet suam impurus Paris. Tu verò, diuturnum fortunæ ludibrium & in Lemno exul Philoctetes, æqualis belli æqualem prioribus ærumnis tuis non times exitum? Sed & Lacónes mala scio sensisse longioris moræ, quæ Principes, duces & bellatores nostros tenebat in Phrygia. Et quicumque demum in Hesperiam venistis Græci! alia atque alia perpessi estis, molientes huc transitum. Atqui Troiani belli hi erant effectus & tristes reliquiæ.

Post hæc verba Mentor appropinquabat Pyliis, quem quia Nestor iam agnoverat, & ipse procedens salutatum: *Recreat me, inquit, aspectus tuus. Diu est, cum in Phocide te primò vidi, tria haud amplius numerantem lustra. Ego verò ex ore tuo iam tum legebam notas canescentis, quàm postea es affecutus, prudentiæ. At at! quis te huc casus?*

ecqua ratio finiendi belli, quod Idomeneus obtrufit nolentibus? pacis tam unicum nobis quàm magnum desiderium. Nostrâ cuiusque magnopere intererat nec laceffere nec laceffi. At mala fide cum proximis pacifcente Idomeneo, vacillabat nostra fecuritas. Inita cum eo pax ab armis quietem ha ad afferret nobis, fed fœderi, quo iungimur, aræ fcilicet libertatis nostræ, ruinam. Gens nulla eft, quam is celare voluerit ambitionis propositum, univerfa destinantis tyrannidi fuæ. Serviendum itaque erat nobis, nifi curæ fuiffet, regnum eius prius, quàm adolefcant, evertere. Perfidus eft, eúmque aut cædere cogimur, aut pati dominum. Quodfi tu possis quo modo efficere, ut nec dubiè, nec fuo unius emolumento pacifcatur, arma non inviti præfentes exercitus ponent. Nobis verò volupe erit primas fapientia tuæ concedere.

Nestori responfum ab internuncio: Ulyffes (id quod non ignoras) filium mihi tradidit instruendum. Isque ut cognofceret, quæ accidiffent patri, urgente desiderio Pylon pervenit, tibi que præfto fuit. Excepifti illum cum cura cultúque, qualem ab genitoris licebat amico fperare; filii etiam tui focietate ornâfti. Inde magnis pelago itineribus accessit Siculos: in Ægyptum & Cyprum forte venit: Cretam tenuit. Iámque reperebat Ithacam: cùm vento, aut Divino potius Numine ad hanc deerravit oram. At felix error, quo accepiftis homines, quibus intercedentibus graviffimum bellum à cervicibus veftris moveatur. Futurum quippe pactum, quantum opus erit, deinceps non ab Idomeneo, fed à Telemacho atque à me ipfo præftabitur.

Hæc

Hæc cum Nestore inter fœderatos exercitus agentem rex & Telemachus armatîque contuebantur è corona muri; acerrimèque intentos, quo vultu acciperetur Mentoris sermo, vellicabat desiderium, è propinquo exaudiendi canam utriusque viri prudentiam. Et Nestori quidem rerum, quæ acciderant, usu copiâque differendi nemo par habebatur ex Græciæ regibus. Cùm oppugnarentur Pergama, ille Achillis ferociæ, ille superbi Agamemnoni adhibuit modum: ille Aiæis arrogantiam, præcipitè impetus Diomedis repressit. Credidisses, cùm disputaret, non verba sed mel fundere. Is unus erat, qui audiebatur ab universis ducibus: unus, cui exordienti sermonem præstatur commune silentium: unus denique, cui cedebat fœda in castris dissensio. Ceterum integritatem virium eius ingravescentis ætatis tentabat frigus; neque tamen sine succo aut lepore erat oratio. Referebat præterita, ut iuventutem institueret ad prudentiam, eratque modus, quo referebantur ab eo, ut non incompertus, ita senili lentitudine temperatus.

Tam venerandum caput, cuius admirationi se dederat universa Græcia, tum ad Mentoris occursum nihil eloquentiæ, nihil dignitatis videbatur retinere. Credidisses omnia Nestoris ex senectute ornamenta extingui Mentoris senio, utpote quod præ vigore optimè temperati corporis sibi vendicabat reverentiam. Verbis utebatur, quibus nec lepos inerat nec cultus, vi tamen & auctoritate pollebant, quanta tum primum cœpit in Nestoris sermone desiderari. Oratio eius semper brevis, vera, & valitura ad motum; numquam revoluta
ad

ad ea, quæ semel intulisset; duntaxat excurrens ad necessaria rei, de qua capiendum erat consilium. Quodsi autem interdum ad priora retrahebatur aut necessitate inculcandi, quæ dixisset, aut persuadendi; redibat semper fusior, ductisque perappositè similitudinibus locuples. Relucebat item in habitu eius, seu agere cum aliis seu docere volentis, mira quædam & facillima iucunditas. Ex omnibus tum copiis diversissimarum gentium nemo erat, quem tam venerabilis utriusque viri aspectus non moverit. Itaque dum Salenti hostes ex amicitia fiducia importunè stipatis cuneis se premunt, percelluntque desiderio & cominus aspiciendi & audiendi prudentissimorum par hominum; Idomeneus cum suis tota oculorum cupiditate studioque videndi adnitebatur, quid ex habitu consultantium vultuque coniectari fas esset, cognoscere.

TELEMACHUS.

LIBER XI.

INter hæc Telemachus longioris moræ haud patiens clam sese eripit Cretensium multitudini; festinatoque cursu ad portam, qua Mentor excesserat, imperantis voce prodeundi exposcit copiam. Non adverterat Idomeneum abitus eius. Itaque ut primùm extra portam, vicinùmque Nestori videbat esse, admirationem haud tenuit. Ceterùm agnitus à Nestore iuvenis, cum eum cerneret lentiolemque proætate sibi moliri occursum, prior ipse involavit in collum salutaturi; mutisque amplexibus diu
vinctum